



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XXVII. De instructione ordinandorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

& temporalibus administrent : sic tamen ut de rebus ecclesiasticis nil penitus alienent. Munus vero consecrationis seu benedictionis recipient, sicut haec tenus recipere consueuerunt.

XXVII.

Cum sit ars artium regimen animarum , districte præcipimus ut episcopi promouendos in sacerdotes diligenter instruant & informent , vel per se ipsos vel per alios viros idoneos , super diuinis officiis , & ecclesiasticis sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare: quoniam si ignaros & rudes de cetero ordinare præsumpserint , ( quod quidem facile poterit deprehendi ) & ordinatores & ordinatos graui decreuimus subiacere vltioni. \* Satius est enim , maxime in ordinatione sacerdotum , paucos bonos quam multos malos habere ministros: quia si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam dilabuntur.

XXVIII.

Quidam licentiam cedendi cum instantia postulantes , ea obtenta , cedere prætermittunt. Sed cum in postulatione cessionis huiusmodi , aut ecclesiarum commoda , quibus præsunt , aut salutem videantur propriam attendisse , quorum neutrum suasionibus aliquorum quærentium quæ sunt sua , seu etiam leuitate qualibet volumus impediri , ad cedendum eos decernimus compellendos.

XXIX.

Concilium  
Lateranense  
sub Alexan-  
dro III. c. 13.

De multa prouidentia fuit in Lateranensi Conilio prohibitum , vt nullus diuersas dignitates ecclesiasticas & plures ecclesias parochiales recipere